

BIBLIOTEKA UNIW. W POZNANIU
INKUNABUŁY
Inc 233.


Virgili9.


Virgili9.

# Georgica. P. Virgilii cum novo cōmētario Hermanni Torrentini.

1500

C*6151



**W woluminie kolejno współoprawne sygnatury:**

**SD 33535 I**

# Inc. 233

**SD 33536 I**

**SD 33537 I**

**SD 33538 I**

BIBLIOTEKA
VNIWERSYTECKA
W POZNANIV

# Georgica. P. Virgilii cum nouo cõmẽtario Hermanni Torrentini.

1500

C * 6151

Georgia
Georgos
Georgicus.
Georgica

G Eorgica vocantur hi quattuor libri Virgilij. quaſi ad agriculturam pertinentes Nam georgia grece ſignificat agriculturam. ꝛ georgos agricolam Inde fit Georgicus a um.id eſt ad agricolam vel ad agriculturam pertinens Item Georgica orū.i.ſcripta de agricultura. ¶ Agricultura vero olim magno in honore fuit vt auctor eſt Plinius.de qua ꝛ multi doctiſſimi viri ſcripta reliquerunt Nam primus de illa ſcripſit Heſiodus antiquiſſimus poeta grecus Et apud latinos. M.varro. P.Virgilius. L.Columella. C.Plinius.ꝛ alij complures Sed inter oēs principatū obtinet Virgilius maieſtate carminis ꝛ elegantia copiaq; dictionis Vtitur autem Virgilius in hoc ope ſtilo temperato vel mediocri pro qualitate materię. Tria namq; ſunt genera dicēdi. ſcʒ humile.grande.mediocre Primo genere Virgilius vtitur in bucolicis. Altero in ęneidę. Tercio hic in georgicis Quę quidem georgica ornatiſſime ſcripſit ꝛ per ſeptem annos expoliuit. vt ſcribit Seruius Ideoq; ſumma cū diligentia legendum eſt hoc opus a ſtudioſis adoleſcentibus Quod vt melius intelligant ſtatuimus eos pro viribus adiuuare his commentarijs tam lucide ſcriptis. vt ab omnibus facile poſſim comprehendi.

Tria gñā dicēdi.

## ¶ Argumentum Primi libri

Quid faciat lętas ſegetes. quo ſidere ſeruet
Agricola. vt facilem terram proſcindat aratris
Semina quo iacienda modo. cultuſq; locorꝫ
Edocuit meſſes magno cum foenore reddi.

Inc. 233

1398144 (r)

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA POZNAŃ 1918

## ¶P. Virgilij Maronis Georgicoꝝ liber primus

Uid faciat lętas ſegetes. quo ſydere terraꝫ
Vertere mecenas. vlmiſqꝫ adiūgere vites
Cōueniat. q̄ cura boum. q̄s cultus habēdo
Sit pecori. atqꝫ apibus quanta experiētia parcis
Hinc canere incipiam

¶Omne carmen heroicum tria habet. ſcꝫ ꝓpoſitionem. inuocatōem. narrationem Ita Virgilius primo ꝓponit ⁊ indicat hic quid ſcripturus eſt in his quatuor libris Nam in p̄mo libro ſcribit de cultura terrarum. ⁊ quo tempo referendum ſit In ſecundo. de arboribus. ⁊ p̄cipue de vitibus In tercio de pecoribꝫ In quarto de apibus Scribit autem ad Mecenatem virum nobilem qui potens erat apud Auguſtum Cęſarē ¶Ordo ꝯſtructiōis eſt iſte. (O mecenas incipiā canere). i. deſcribere (hinc. i. iam poſt bucolica (q̄d faciat lętas ſegetes). i. quō ſegetes bene ꝓueniāt. ⁊ (quo ſydere). i. quo tp̄e anni (ꝯueniat). i. expediat (vertere). i. arare (terrā) Et quo ſydere ꝯueniat (adiūgere). i. alligare (vites vlmis). i. illis arboribꝫ Et incipiā canere (q̄ ſit cura boū) . i. quō curent̄ ⁊ regant̄ boues Et (q̄s cult⁹ ſit pecori). i. quō colant̄ alia pecora ſcꝫ oues ⁊ capre (habēdo). i. vt habeat̄ ſcꝫ pec⁹ (Atqꝫ) incipiā canere (quāta experiētia). i. prudētia. ſit (apibꝫ parcis). i. q̄ ſciūt parcē ⁊ cuſtodire ſua — Conſtructio

¶Seges eſt frumentum adhuc in ſpicis nondum demeſſum Ponit̄ etiam pro terra in qua naſcitur per tropum qui vocatur metonomya. vt paulo poſt Illa ſeges demum. ⁊c. Hic poteſt accipi vtrouis modo — Seges

¶Ulmus eſt arbor alta ad quam vites ſuſtentantur in italia A quo fit vlmeus a um. vt frondes vlmeę. id eſt de vlmo. — Ulmus, Ulmeus

Uos o clariſſima mundi
Lumina. labentem celo q̄ ducitis annum
Liber et alma ceres. veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta
Poculaqꝫ inuentis acheloia miſcuit vuis
Et vos agreſtūm pręſentia numina fauni
Ferte ſimul ſatyriqꝫ pedem driadeſqꝫ puellę
Munera veſtra cano. tuqꝫ o cui prima frementē
Fudit equum magno tellus ꝑcuſſa tridenti
Neptune. et cultor nemoꝝ cui pinguia cee
Ter centum niuei tondent dumeta iuuenci.

¶Hic poeta et etiam ſequentibus inuocationem facit. Et multos inuo-

cat quos gentilitas deos putauit. Fuit eñ Virgilius ante ſaluatoris aduẽ
tum vt verꝝ deum neſciret ¶ Conſtructio (O vos clariſſima lumina mũdi.
ſcʒ liber) id eſt ſol vel bacche (⁊ alma ceres) id eſt luna. quę ducitis id eſt ꝓdu
citis (annum labentẽ) id eſt ꝓcedentẽ. cœlo ſcdm curſum cœli. ferte ſimul pe
dem id eſt date mihi fauorem (Si) id eſt quoniam (tellus) id eſt populus ter
renus (mutauit chaoniã glandẽ pingui ariſta) id eſt pro glandib⁹ q̇bus ante
veſcebatur acquiſiuit fruges (veſtro munere) id eſt per veſtrum munus (Et
tellus miſcuit acheloia pocula) id eſt aquam fluuialem (vuis inuentis) id eſt
cum vino ꝑ vos reperto Et o vos preſentia numina agreſtũ .i. ꝓprij dij ruſti
coꝝ ſcʒ. (fauni ⁊ ſatyri). ſic vocati. ⁊ dryades puellę. vos deę ſic dicte. ferte ſi-
mul pedem. id eſt date mihi fauorem in ſcribendo. quia (cano) id eſt volo de
ſcribere. veſtra munera id eſt res ruſticas Et o tu neptune. id eſt deus maris
ſupple fer ſimul pedem Cui. ſcʒ neptuno. tellus ꝑcuſſa magno tridente. id eſt
ſceptro tuo. fudit. id eſt effudit ꝓduxit. p̄ma frementem equum Et tu cultor
nemoꝝ. ſcilicʒ ariſtee. cui ariſteo. ter centũ niuei iuuenci. i. trecenti cãdidi tauri
tõdent. i. carpũt rodũt. pinguia dumeta. i. prata plena dumis. ceę. illi⁹ iſulę

Liber ¶ Liber prima ꝓducta ſignificat fabuloſum deum vini ⁊ ponitur pro vino.
Ceres quoq; dicitur dea frugum de qua poſtea plus habebitur. ⁊ ponitur
pro frumento ⁊ pro cibo. Therentius Sine cerere ⁊ libero friget venus. id
eſt remota crapula remouetur libido

Chaonia ¶ Chaonia eſt regio grecie q̃ ⁊ epyrus vocatur In qua ē magna ſilua quer-
cuũ Ideo dr̄ hic adiectiue. chaonia glans. i. qualis naſcit̃ in ſilua chaonie

Ariſta ¶ Ariſta ꝓprie ē acus ſpice vel q̃ſi ſpina defendẽs fruges a morſib⁹ auiculaꝝ

Achelous ¶ Achelous eſt fluuius calidonie. ſed hic ponit̃ ſpecies ꝓ gñe vt inq̇t Serui
us. hoc eſt ꝓ quouis fluuio Jñ adiectiũ achelotus a um. i. fluuialis.

Fauni ¶ Fauni ⁊ ſatyri vocant̃ a poetis q̇dam ruſtici dij. Quidã ſcribunt eſſe mõ
ſtroſa aĩalia in deſertis Nam ⁊ a M. Antonio in parthos ꝓfecto ſatyrum
captum ſcribit plutarchus. ⁊ beato abbati Antonio locutum quoq; ſimile
animal ait Hieronymus

Dryades ¶ Dryades appellant poete nymphas arborum In ſingulari numero dici
tur haec dryas. dryadis. a greco nomine drys quod ſignificat quercum.
Vel dicuntur deę ſiluarum

Neptunus ¶ Neptunus frater iouis fuit rex inſulaꝝ. quare fingit̃ eſſe deus maris. de
quo fabulant̃ ꝙ p̄mũ equũ ꝓduxerit ex terra ꝑcuſſa ſuo tridente

Tridens. ¶ Tridens dr̄ omne qd̄ habet tres dentes ſed ꝓprie ſceptꝝ neptuni q̇ voca
Cea tur tridentifer Et nota ꝙ in abltõ dicitur tridente vel tridenti ¶ Cea eſt inſu
Dumetum la in egeo mari dicta ſic a ceo gigãte ¶ Dumetũ dr̄ loc⁹ vbi dumi ſunt. i. ſpine

Ipſe nemus linquens patrium ſaltuſq; lycei
Pan ouium cuſtos: tua ſi tibi menala curę
Adſis o tegeę fauens. oleęq; minerua
Inuentrix. vnciq; puer monſtrator aratri
Et teneram ab radice ferens ſiluane cupreſſum
Dij deęq; oēs ſtudium quibus arua tueri

Quiqꝫ nouas alitis non nullo ſemine fruges.
Quiqꝫ ſatis largum celo demittitis imbrem

¶ Adhuc alios inuocat deos. vt pana. mineruam. ſiluanum ¶ Conſtructio O pan tegeę. tu ipſe adſis fauens id eſt iuuans. linquens patrium nemus. id eſt vbi natus es. ⁊ linquens. ſaltus. id eſt ſiluas. lycei. illius montis arcadie. ſi tua menala. id eſt illa loca. ſint. tibi curę. Et O minerua. tu dea. inuentrix oleę. illius arboris vel que inueniſti vſum olei. ſupple adſis fauens Et o puer monſtrator vnci aratri. id eſt qui repperiſti vſum aratri. ſupple adſis fauens Intelligit autem oſyrim regem ęgypti Et o ſiluanę. tu deus ſiluarum adſis fauens. ferens cupreſſum id eſt ramum illius arboris. teneram. id eſt nouam. ab radice ſcilicet pręciſam. Et omnes dij ⁊ deę. ſcilicet adſitis. quibus. dijs ⁊ deabus. ſtudium. id eſt diligentia eſt. tueri arua id eſt defendere agros Et qui alitis nouas fruges ſemine non nullo. id eſt aliquo. Et. qui demittitis id eſt deorſum mittitis. coelo. id eſt de coelo. largum imbrem. id eſt pluuiam. ſatis. id eſt ſegetibus

¶ Saltus. us. hꝫ duo ſ̄cata nã qñqꝫ ſ̄t actũ ſaliendi. teuto. ſ̄cat een ſpronck Vir. enei. ij. Aut corpa ſaltu Ad terrã miſerę Qñqꝫ ſ̄cat ſiluã vbi beſtie ſaliunt. vt hoc loco. ⁊ poſtea ſępius Saltus.
¶ Lycęus eſt mons arcadię Lyceus.
¶ Menalus etiam mons in arcadia In plurali menala oꝝ Menalus
¶ Pan gtõ panos. eſt fabuloſus deus nature vel paſtoꝝ qui quondam colebatur in arcadia ⁊ p̄cipue in oppido quod dicitur tegeęum Unde ipſe pan vocatur tegeęus per quattuor ſyllabas Pan Tegeęus
¶ Minerua eſt pallas ſcilicet dea artium q̄ inueniſſe dicitur vſum olei ⁊ lanę Accipitur pro natura Tullius. Nihil decet inuita minerua. id eſt repugnante natura. Ita ⁊ Horatius accipit. Minerua
¶ Siluanus dicitur fabuloſus deus ſiluarum Siluanus
¶ Cupreſſus. cypreſſus. ⁊ cypariſſus eſt vna ſpecies arboꝝ Eſt ãt arbor alta. ſemper frondens odora ⁊ longeua Cupreſſus Cypreſſus

Tuqꝫ adeo quem mox q̄ ſint habitura deoꝝ
Concilia incertum eſt. vrbes ve inuiſere cęſar
Terrarumqꝫ velis curam. et te maximus orbis
Auctorem frugum tempeſtatumqꝫ potentem
Accipiat. cingens materna tempora myrto
An deus immenſi venias maris. ac tua nautę
Numina ſola colant. tibi ſeruiat vltima thyle
Teqꝫ ſibi geneꝝ tethys emat omnibus vndis
Anne nouum tardis ſydus te menſibus addas
Qua locus erygonen inter chelaſqꝫ ſequentes
Panditur. ipſe tibi iam brachia ꝯtrahit ardens

Scorpius.et coeli iuſta plus parte relinquit
Quicq̄d eris(nam te nec ſperent tartara regem
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido
Quamuis elyſios miretur gręcia campos
Nec repetita ſequi curet proſerpina matrem.)
Da facilem curſum atqꝫ audacibus annue coeptis
Ignaroſqꝫ vię mecum miſeratus agreſtes
Ingredere.et votis iam nunc aſſueſce vocari.

¶ In hac parte poeta adulatur Ceſari Auguſto.⁊ illum quoqꝫ ſicut deum inuocat ¶ Conſtrue ſic Tuqꝫ.ſcilicet o cęſar.adeo.id eſt certe. ſupple adſis fauens quem ſcilicet te.quę ꝯcilia.id eſt congregationes.deorum ſint habitura.id eſt inter quos deus futurus ſis.eſt incertum.id eſt neſcitur a nobis. O cęſar eſt incertum.ne.id eſt an.velis inuiſere vrbes ⁊ curam terrarum. et maximus orbis accipiat te auctorem.id eſt deum.frugum.⁊ potentem.id ē rectorem.tempeſtatum.ſcꝫ tollendarum.cingens.id eſt circūdans.tua tempora.id eſt caput tuū.materno myrto.illius arboris frondibus quę ſacrata eſt matri tue veneri Et incertum eſt.an venias deus immenſi maris.ac nautę colant tua numina ſola.id eſt preſtantior futurus es omnibus marinis dijs Et vltima thyle.illa remota inſula.ſeruiat tibi. Et tethys.illa dea ſcilicꝫ mater aquarum emat te generum ſibi.id eſt fiat ſocrus tua.in omnibus vndis. Et incertum eſt.an ne.addas te nouū ſydus tardis menſibus.id eſt eſtiuis mēſibus qn̄ dies longi ſunt Intelligit āt menſes Julium ⁊ Auguſtum quoꝝ alter a patre Julio ſic noīatus eſt.alter ab ipſo auguſto. Qua.ſcꝫ parte coeli.locus panditur.id eſt aperitur.inter erygonen.id eſt illud ſignum cęleſte.⁊ interchelas.id eſt brachia ſcorpij Ipſe ardens ſcorpius.id eſt illud clarum ſignum cęleſte.contrahit.id eſt ad ſe colligit.brachia.ſua.tibi.id eſt vt tu locum habeas.⁊ reliquit.tibi.plus iuſta parte coeli.id eſt hoc ſpacium coeli quod ipſe occupauerat plus iuſto.quia ſcorpius occupat ſuis brachijs tantum loci quantum toto corpore Quicquid eris.id eſt ſiue deus terrę ſiue maris ſiue coeli da facilem curſum.id eſt modum ſcribendi.atqꝫ annue audacibus coeptis id eſt incoeptis Et tu miſeratus agreſtes ignaros vię.id eſt artis ruſticandi.ingredere mecū.id eſt vade ⁊c̄ Et aſſueſce.id eſt diſce.iamnūc vocari.id eſt inuocari.votis.id eſt ꝑcibus miſerorum Nam nec tartara ſperente regem.ſcilicet ſuum futurum Nec tam dira.id eſt magna.cupido regnandi veniat tibi.ſcꝫ vt velis eſſe rex inferorum Quamuis grecia miretur elyſios campos.id eſt quamuis greci ſcriptores valde laudent illa loca inferorum Et quamuis.proſerpina.i.filia cereris.repetita.i.reuocata.non curet .i.parui pendat.ſequi matrem.i.redire ad ſuperos

¶ Nota ꝙ illud nam te nec ſperent ⁊c̄.cum tribus verſibus ſequentibus poſitum eſt per parentheſim

Adeo ¶ Adeo qn̄qꝫ ſ̄cat certe vt hoc loco Tuqꝫ adeo. ⁊c̄. Qn̄qꝫ ſ̄cat intantū vel tam Idem ṗmo enei. Non obtuſa adeo geſtamus pectora poeni

¶ Myrtus eſt arboꝛ olim conſecrata veneri. Et Auguſtus dicebat vene- Myrtus.
rem matrem ſuam
¶ Tempus hic ſignificat partem capitis inter aures ⁊ oculos. Errant qui Tempus
timpus dicunt
¶ Thyle eſt inſula remota in oceano ſeptentrionali vbi in ęſtate ſunt longiſ Thyle
ſimi dies ⁊ in hyeme breuiſſimi
¶ Thetys huius tethyos vocatur a poetis marina dea vxoꝛ oceani. poni- Tethys
tur pro mari. ſed Thetis tidis fuit mater achillis Thetis.
¶ Erigone fuit filia icarij regis quam fabulantur ob iuſticiam eſſe mutatã Erigone
in cęleſte ſignum quod virgo vocatur
¶ Chelę dicunť brachia cancroꝝ ⁊ ſcoꝛpionũ. eſt autem gręcũ nomen Chelę
¶ Scoꝛpius vel ſcoꝛpio eſt vermis venenoſam caudam habens ⁊ brachia Scoꝛpiꝰ ſcoꝛpio
ſicut cancer Et etiam ſignum cęleſte. vt hic Item eſt inſtrumentum militare
quod baliſtam vocant Item herba quędam
¶ Tartarus pluraliter tartara eſt locus damnatoꝝ apud inferos dictus a Tartarus.
greco verbo tartaro quod eſt conturbo.
¶ Elyſium ſcribiť a poetis eſſe locus amenus apud inferos vbi boni ꝯmo- Elyſium
rant. de quo habeť in. vi. enei. Diciť etiã adiectiue elyſius. a um. vt hic
¶ Proſerpina eſt filia cereris quã rapuit pluto rex inferoꝝ. ⁊ cũ eius mater eã Proſerpina
obnixe repeteret. ipſa tñ ibi manere maluit. vt aiunt aliqui

V Ere nouo gelidus canis quũ mõtibꝰ humoꝛ
Liquitur. et zephyꝛo putris ſe gleba reſoluit
Depreſſo incipiat iamtum mihi taurus aratro
Ingemere. et ſulco attritus ſplendeſcere vomer
Illa ſeges demum votis reſpondet auari
Agricolę. bis quę ſolem bis frigoꝛe ſentit
Illius immenſę ruperunt hoꝛrea meſſes

¶ Hic poſt inuocationem incipitur pars executiua de pręceptis agricultu-
re. ⁊ primo docet de aratione. quando ſcilicet ⁊ quotiens arandum eſt.
¶ Conſtructio Quin. i. qñ. gelidus humoꝛ. id eſt glacies. liquitur. i. liqueſcit
canis montibꝰ. nouo vere. i. initio veris. ⁊ quum putris gleba. i. gelata terra
reſoluit ſe. i. diſſoluit. zephyꝛo. i. ꝑ calorem illius venti Taurus incipiat mihi
iam tum. i. tunc moꝝ. ingemere. i. valde gemere. aratro. i. ad aratrum vel ꝓp-
ter aratrum. depreſſo. i. in terram preſſo Et vomer. ſcilicet incipiat tunc. ſplẽ-
deſcere. i. ſplendere. attritus ſulco id eſt terra Illa ſeges. i. terra. reſpondet vo
tis auari agricole. i. tantas fruges ꝓducit quantas cupit auarus agricola. q̃
ſcꝫ ſeges. bis ſentit ſolem. i. calorẽ diurnũ. ⁊ q̃. bis ſentit frigoꝛa. ſcꝫ nocturna.
Intelligit ãt de duplici aratiõe. vna in ṽe. altera in autumno Immẽſę meſſes
. i. valde multe fruges. ruperũt hoꝛrea illiꝰ. ſ. agricole ħ facientis. ſ. ꝑ nimia copia
¶ Ver eſt initium anni calidum ⁊ humidum. quod incipit circa cathedꝛam Ver.
ſancti petri Sunt enĩ quattuoꝛ anni ꝑtes ſcꝫ ver. eſtas autũnus. ⁊ hyems. q̃
rum vnaqueqꝫ durat tribus menſibus.

¶ Gelidus.id eſt frigidus aut gelatus.fit enim a gelu
¶ Canus cana canum.i.griſeus ſcʒ mixtus inter album ꝛ nigrum.vt canos lupos.inq̄t Ouidius.ꝛ montes ſunt cani niue.Canus capillus Vñ Ouidius Magna fuit quondam capiti reuerentia cano

Zephyrus — ¶ Zephyrus eſt ventus occidentalis qui ſuo temperato calore relaxat terram conſtrictam frigore.

Putris — ¶ Putris.id eſt putridus ſordidus Inde putredo.id eſt corruptio

Gleba — ¶ Gleba.eſt fruſtum terre quaſi globus

Sulcus. — ¶ Sulcus eſt foſſa quã facit aratꝫ Inde ſulcare ſulcos facẽ vel arare ploegẽ

Demum — ¶ Demum.i.tandem ꝛ pulchre additur pronomini is vel ille

Respondere. — ¶ Reſpondere ſignificat quandoqꝫ ſatiſfacere vel par eſſe vt hoc loco.

At prius ignotum ferro q̄ʒ ſcindimus ęquor
Ventos et varium coeli prediſcere morem
Cura ſit.ac patrios cultus habituſqꝫ locoꝝ
Et quid quęqꝫ ferat regio et quid quęqꝫ recuſet
Hic ſegetes.illic veniunt foelicius vuę
Arborei fetus alibi atqꝫ iniuſſa vireſcunt
Gramina.nonne vides croceos vt tmolus odores
India mittat ebur.molles ſua thura ſabei
At chalybes nudi ferrum.viroſaqꝫ pontus
Caſtorea.eliadum palmas epiros equarum
Continuo has leges ęternaqꝫ foedera certis
Impoſuit natura locis.quo tp̄e primum
Deucalion vacuum lapides iactauit in orbem
Vnde homines nati duꝝ genus.ergo age terrę
Pingue ſolum primis ex templo a mẽſibus anni
Fortes inuertant tauri.glebaſqꝫ iacentes
Puluerulenta coquat maturis ſolibus ęſtas
At ſi non fuerit tellus fecunda:ſub ipſum
Arcturum tenui ſat erit ſuſpendere ſulco
Illic officiant letis ne frugibus herbę
Hic ſterilem exiguus ne deſerat humor harenam

¶ Dicit añ oĩa opus eſſe vt ſciam⁹ qualitatẽ agri q̄ eſt valde diuerſa Itẽ docet aliter arandũ pinguẽ terrã aliter macrã ¶ Cõſtrue Ad.i.ſʒ.priuſq̄ʒ ſcindimus ferro.i.vomẽ ignotũ ęquor.i.terrã nobis ĩcognitã.cura ſit.i.curem⁹ p̄-

diſcere ventos id eſt cui vento ager ſit expoſitus. ⁊ cura ſit prediſcere varium
morem coeli. id eſt qualitatem aeris. ⁊ cura ſit prediſcere patros cultus. id ē
quis ſit modus colendi in regione. ⁊ habitus id eſt poſſibilitas locorum. Et
cura prediſcere. quid queqꝫ regio ferat. id proferat melius. ⁊ quid queqꝫ ſcꝫ
regio recuſet. id eſt nolit ferre Segetes veniunt id eſt creſcunt foelicius. id eſt
copioſius vel melius. hic in vno loco. vue veniūt foelicius illic id eſt in alio lo
co Arborei foetus. i. poma ⁊ fructus arborum. ſupple veniunt foelicius. ali-
bi. i. in alio loco. Atqꝫ gramīa iniuſſa. i. ſponte ſua naſcentia. vireſcunt ſcꝫ foe
licius alibi Nonne vides vt. i. quomodo. tmolus. ille mons cilicie mutat cro
ceos odores. i. crocum India illia regio. mittit ebur Sabei. illi hoīes molles
id eſt delicati ſupple mittunt thura. At ſed nudi chalybes. illi homines ſcilicꝫ
mittunt. ferrum. Et viroſa pontus. illa regio vbi venena ſunt mittit caſto-
rea. illud medicamentum Epiros. illa ꝓuincia mittit palmas eliadum equa
rum. i. optimas equas ad curule certamen Natura impoſuit has leges ⁊ e
terna federa id ſemper manſuras qualitates certis locis id eſt ſingulis. conti
nuo id eſt mox. quo tempore deucalion. ille vir. iactauit lapides in orbem
vacuum ſcilicet hominibus Unde de quibus lapidibus homines exiſten-
tes durum genus ſunt nati ſecundum fabulas Ergo age fortes tauri in-
uertant. id eſt vertant aratro. pingue ſolum. id eſt ſuperficiem terre exemplo.
id mox a primis menſibus anni id eſt principio veris Et puluerulenta eſtas
id eſt plena puluere. coquat. id eſt ſiccet vel preparet glebas iacentes. id eſt
terram ꝓ iſſam. maturis ſolibus id eſt temperatis caloribus At id eſt ſꝫ tel
lus non fuerit foecunda id eſt pinguis. erit ſat id eſt ſatis. ſuſpendere id ē diſ
ferre arationem ſub. ipſum arcturum. id eſt vſqꝫ in autumnum. tenui ſulco
modica aratione. Ne herbe ſcilicet inutiles officiant. id eſt noceant letis fru-
gibus illic id eſt in pingui ſolo Et ne exiguus humor deſerat ſterilem hare-
nam hic. ſcilicet in macra terra

¶ Aequor qñqꝫ ſignificat mare qñqꝫ campum. vt hic ⁊ ſepe apud ꝟgilium — **Aequor**

¶ Tmolus eſt mons in cicilia vbi naſcitur optimum crocum. — **Tmolus**

¶ Saba eſt vrbs in arabia Jñ ſabei apud quos ſolos naſcitur thus — **Saba**

¶ Chalibes ſunt quidam populus apud quos eſt optimū ferrū quod etiam chalybs vocatur Dicunt̃ autem nudi quia valde laborant — **Chalibes**

¶ Pontus femī gñis. eſt prouincia quedā in qua Ouidius exulabat In ea dem ſunt caſtores animalia degentia in aqua ⁊ in terra — **Pontus**

¶ Caſtorea vocantur teſticuli caſtorum ſiue fibrorum multis medicamen- tis apti. teutonice beuerſche — **Caſtorea**

¶ Viroſus. id eſt venenoſus a nomine virus Et ꝑt ī textū viroſa ꝯi ūgi cuꝫ ſubſtantiuo pontus ⁊ etiam cum caſtorea — **Viroſus**

¶ Elis elidis eſt ciuitas arcadie vbi fiebant equeſtria certamina De hoc ā- plius libro tercio dicetur. — **Elis**

Epiros vel epirus eſt regio grecie vel ꝓpe eam. quā nūc albania dr̃

¶ Deucalion fuit antiquitus rex theſſalie cuius tpe mag gnū diluuiū fuit ita vt poete dicūt hūc ſolū cū vxore pyrrha euaſiſſe. ⁊ repaſſe gen⁹ hūanū iactu lapidū Nā lapides q̊s iaciebat deucaliō fiebāt viri q̊s pyrrha feīe vide Oui dium primo meta — **Deucalion**

¶ Arcturus eſt ſydus iuxta plauſtrum quod ⁊ bootes vocatur ⁊ oritur cir- — **Arcturus**

.i.tempus autumnale
Alternis idem tonſas ceſſare nouales
Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum
Aut ibi flaua ſeres mutato ſydere farra
Unde prius ſiliqua lętum quaſſante legumen.
Aut tenues foetus vicię triſtiſqꝫ lupini
Suſtuleris fragiles calamos ſiluamqꝫ ſonantem
Urit enim lini campum ſeges urit auenę
Urunt lętheo perfuſa papauera ſomno
Sed tamen alternis facilis labor. arida tantum
Ne ſaturare fimo pudeat pingui ſola.neue
Effetos cinerem immundum iactare per agros.
Sic quoqꝫ mutatis requieſcunt foetibus arua.
Nec nulla interea eſt eſt inaratę gratia terrę.

¶ Dicit vtile eſſe aruis vt ſeranẗ alternis annis.vel etiã vt muteẗ ſatio Conſtructio.Tu idẽ patiere tonſas nouales.i.agros demeſſos.ceſſare.i. vacuas eſſe.alternis.i.alternatim vel altero anno Et patiere ſegnẽ campũ dureſcere id eſt vires recipe ſitu.i.ocio ſine ſegete Aut ſeres ibi flaua farra .i.frumenta mutato ſydere.tempore ãni.vnde.de quo aruo.ſuſtuleris pꝛ⁹letũ legumẽ ſcilicet fabas aut piſa.quaſſante ſiliqua.i.mouẽte vel ſonãte folliculo Aut vnde ſuſtuleris.tenues foetus.i.fructus.vitie illius leguminis Et vñ ſuſtuleris. fragiles calamos.i.ſtramina⁊ ſonantẽ ſiluã.i.meſſem.triſtis lupini.i. illius ſeminis amari.Enim.quia ſeges lini vꝛit campũ.i. coꝛrumpit⁊ ſeges auene vꝛit.et papauera ꝑfuſa letheo ſomno.i.que ſomnolentos faciũt.vꝛũt. ſcilicet campũ Sed tamẽ facilis laboꝛ eſt alternis.i.agris ſecũdo anno ſatis.tantum ne pudeat ſaturare.i.condire iuuare.arida ſola.i.ſteriles terras .pingui fimo Ue.id eſt vel.pudeat iactare imundũ cinerẽ.i.puluerẽ.per agros effetos.i.

Noualis nouali continua fertilitate laſſatos ¶ Noualis feĩo gñe.⁊ nouale neutro genere ꝓ
Alternis pꝛie ſignificat nouum agrum ¶ Alternis hic eſt aduerbium pꝛo alternatim ſicut etiam in buccolicis Alternis dicetis ⁊c̃
Segnis ¶ Segnis id eſt piger ocioſus Enei.iij.haud ſegnis ſtrato ſurgit palinurus
Situs et omnes ⁊c.¶ Situs ſubſtãtiuũ qñqꝫ ſignificat poſitionẽ.vt ſitus hui⁹ oppidi Qñqꝫ ſignificat ſqualoꝛẽ vt hic Situs adiectiuũ idem eſt quod poſit⁹ vt hic ſitus eſt phaeton. inquit Ouidius
Flauus ¶ Flauus a um.i.mixtus ex rufo albo ⁊ viridi (arboꝛis ſpẽs ⁊ fructus ill⁹
Siliqua ¶ Siliqua eſt folliculus leguminum.ſcilicet in quo creſcunt Etiam eſt
Legumen Legumen dicit illa fruges que nõ habꝫ ſpicas ſꝫ folliculos.vt piſa faba
Uitia ¶ Uitia vitie eſt legumen vile een vvicke.
Letheus ¶ Lethe grece diciẗ obliuio Inde letheus id eſt obliuioſus

Sepe etiam ſteriles incendere profuit agros
Atqȝ leuem ſtipulam crepitantibus vrere flammis
Siue inde occultas vires et pabula terrę.
Pinguia concipiunt. ſiue illis omne per ignem
Excoquitur vitium atqȝ exudat inutilis humor
Seu plures calor ille vias et ceca relaxat
Spiramenta. nouas veniat qua ſuccus in herbas
Seu durat magis et venas aſtringit hiantes.
Ne tenues pluuię rapidi ve potentia ſolis
Acrior. aut borę penetrabile frigus adurat

¶ Docet vtile eē q̄nqȝ agros incendē quattuor de cauſis ¶ Conſtrue Pro-
fuit etiā ſepe incendē ſteriles agros. i. res in agris ſcȝ ſtipulas aut ſilua. Atqȝ
ſcȝ pfuit vrere leuē ſtipulā. i. ſtramē. flammis crepitātibus. i. ſonātibus Siue
id eſt vel quia. terre cōcipiūt. i. acquirūt inde. i. ex hoc occultas vires ⁊ ping-
uia pabula. i. nutrimenta Siue. i. vel quia. omne vitiū. i. malū. excoq̄tur illis
id eſt purgatur ex terris. atqȝ inutilis humor exudat. i. exit. per ignem Seu. i.
ſiue. ille calor ſcilicet ignis. relaxat. i. aperit plures vias ⁊ ceca ſpiramenta. id
eſt non viſa foramina. quia id eſt ꝑ que. ſuccus veniat in nouas herbas Seu
ille calor. durat magis duriorē facit terrā. ⁊ aſtringit. id eſt claudit. hiātes ve-
nas id eſt apertos meatus terre Ne tenues pluuie. ſcȝ noceant. ve id eſt vel
vel ne acrior potentia ſolis rapidi. i. violenti. adurat. ſcilicet terrā Aut frigus
borec penetrabile. i. facile penetrās ne adurat ¶ Sterilis id eſt nō fertilis A — Sterilis
q̄ ꝟbo ſterileſco. i. fio ſterilis vt galline pingues ſterileſcūt ¶ Stipula ē calam⁹ — Stipula
frumēti vel ea ps calami q̄ manet in terra poſt meſſionē teut ſtroe of ſtoppel.
¶ Spiramētū ł ſpiraculū ē foramē ꝑ qd̄ ſpūs exit vt i vaſis clauſ eē ſolȝ Vro — Spiramentū ſ
nō ē id qd̄ cremo. ſȝ ſt q̄ſi ledē vt ſol vrit ⁊ frig⁹ vrit vt h̄ hēt Jtē vlc⁹ vrit amor — raculū Vro
vrit flagellū vrit vt apd̄ ho. Penetrabile capit̄ tū actiue vt h̄ tū paſſiē vt alibi — Penetrabile

Multum adeo raſtris glebas qui frangit inertes
Vimineaſqȝ trahit crates iuuat arua. neqȝ illum
Flaua ceres alto ne quicq̄ʒ ſpectat olympo
Et qui proſciſſo que ſuſcitat equore terga:.
Rurſus in obliquum verſo prorumpit aratro
Exercetqȝ frequens tellure atqȝ imperat aruis
Humida ſolſticia atqȝ hyemes orate ſerenas
Agricolę. hiberno lętiſſima puluere farra:
Letus ager. nullo tantum ſe moeſia cultu.

Iactat. et ipſa ſuas mirantur gargara meſſes

¶ Hic agit de vſu raſtroꝝ ⁊ de aratione per obliquū q̄ liratio vocat᷑ ¶ Conſtructio (Ille iuuat arua adeo multū q̇ frangit raſtris glebas inertes) ſignificat rudes ⁊ iucultas (⁊ q̇ trahit) ſcꝫ ꝑ arua. vimineas crates. i. hirpicas factas de viminibus. Flaua ceres. dea frugū. non ſpectat id ē aſpicit. illū ne quicq̄ʒ id eſt fruſtra. hoc eſt illū iuuat ceres ⁊ fruges multas dabit illi Et ſupple ille multū iuuat arua; qui prorūpit. i. frāgit. rurſus terga. i. ſupficies terre. q̄ terga ſuſcitat. i. leuat equore. i. campo. ꝓſciſſo. i. aratro ꝟſo in obliquū. i. ꝑ tranſuerſuȝ Et qui exercet. i. colit aut vertit. tellurē frequēs. i. frequēter. atq̄ʒ imperat aruis. i. cogit arua multos fructus ꝓferre O agricole orate humida ſolſticia id eſt eſtates humidas. atq̄ʒ orate hyemes ſerenas. i. ſiccas. Farra id ē frumenta ſunt letiſſima. id eſt copioſiſſima. hiberno puluere. id ē ſiccitate hyemali. ⁊ (ager eſt letus) id eſt fertilis hiberno puluere. Meſia illa ꝓuincia. iactat ſe tantū. i. extollit ſe de copia frugum. nullo cultu id eſt labore hominum ſed aeris bonitate. ⁊ ipſa gargara. illa loca. mirātur ſuas meſſes. i. fruges mltas

Raſtrum
¶ Raſtrum eſt inſtrumentum ligneum quo ruſtici poſt aratione frangūt glebas dictuȝ a radendo In plurali nūero dicitur ⁊ raſtri ſcdm Seruiuȝ

Vimen. Vimineus
¶ Vimen eſt virga lenta qua ligatur aliquid. aut de qua fiunt corbes. vt habetur poſtea Tu ſpiſſo vimine qualos ⁊c̄. hinc adiectiuum Vimineus a uȝ id eſt de vimine.

Cratis viminea hirpica
Cratis viminea een eghede quod vocatur etiam hirpica Item cratis viminea. etiam ſignificat een vecken of een hecke

Solſticium Bruma.
¶ Solſticium dicitur cum ſol nec amplius deſcendit nec aſcendit Et eſt duplex ſolſticium vnum hyemale quod vocatur bruma alterum aeſtiuale quod nun habet nomen ſpeciale ideoq̄ʒ tenet generale

Meſia Myſia
¶ Meſia eſt ciuitas quedam phrygie iuxta troiam Alij legunt myſia que ē prouincia helleſponti feraciſſima frumenti.

Gargara
¶ Gargara ſunt mōtes phrygie. et oppidum ibidem

Quid dicam iacto qui ſemine comminus arua
Inſequitur. cumuloſqꝫ ruit male pinguis harene
Deinde ſatis fluuium inducit riuoſqꝫ ſequentes
Ac cum exuſtus ager morientibus eſtuat herbis
Ecce ſupercilio cliuoſi tramitis vndam
Elicit. illa cadens raucum per leuia murmur
Saxa ciet. ſcatebriſqꝫ arentia temperat arua

¶ De occatione que fit poſt ſationem Item de aruorum irrigatiōe (Quid dicam) ſubaudi. quātum ille iuuat arua (qui ſemine iacto) id eſt cum iactum eſt (inſequitur arua cominus) id eſt ſtatiȝ vadit in arua (⁊ ruit). i. diruit frāgit (cumulos harene. male pinguis) id eſt nō pinguis Deinde ipſe inducit fluuium ſatis id eſt ad ſata et inducit riuos ſequentes. id eſt iuges Ac cum ager exuſtus. ſcꝫ a ſole. eſtuat. id eſt ardet. herbis. i. ſatis. morīētibꝰ. i. pereuntibus Ecce. is agricola. elicit. id eſt educit. vndam ſupcilio. id eſt de ſummita-

te cliuoſi tramitis·i.mõtuoſi tranſit⁹(illa)ſcꝫ vnda (cadẽs).i.deſcendẽs (cie .i.mouet.facit(raucũ murmur).i.ſonũ(ꝑ ſaxa leuia(.i.plana detrita)ꝛ(vnda tẽpat).i.recitat)ſcatebris).i.ebuliẽtib⁹ ſuis arua arẽtia.i.arida(¶ Ruo qñqꝫ ẽ absolutũ idẽ qꝺ cado.vt ij.enei.Ruit alto a culmie troia Qñqꝫ est trãſitiuũ ſcãs idẽ qꝺ diruo vt hoc loco ¶ Aeſt⁹ eſt feruior aut nimi⁹ calor Aeſtuaꝛ ſe uẽ ardẽ ¶ Supcilũ eſt ps frõtis ſupra oculũ hirſuta. Et qꝛ ſupciliũ altũ eſt ideo ponit ꝑ altitudine vt hic Etiã capit ꝑ ſupbia ¶ Cliu⁹ eſt puus mons Inde cliuoſus.i.altus ¶ Leuis prima ſylľa ꝑducta eſt idẽ qꝺ mollis ꝛ pla- nus Inde Leuor id ẽ mollicies ꝛ Leuigare id ẽ planare ¶ Scatebre ſunt ebulitiones aquaꝝ.a ꝟbo ſcatere quod ſiggnificat ebulire vel exilire. ¶ Ar uũ een acker eſt ps agri que ſeritur frumẽto

Ruo

Aeſtus eſtuare

Supciliũ

Cliuus

Leuis

Scatebris.

Aruum

Quid?qui(ne grauidis ꝓcumbat culmus ariſtis).
Luxuriam ſegetum tenera depaſcit in herba
Cum primum ſulcos ęquant ſata.quiqꝫ paludis
Collectum humorem bibula deducit harena
Pręſertim incertis ſi menſibus amnis abundans
Exit.et obducto late tenet omnia limo
Unde cauę tepido ſudant humore lacune

¶ De trũcatiõe vel demeſſiõe ſegetis cũ ꝓmũ cepit creſcẽ ꝛ de ſiccatõe agro- rũ ¶ Cõſtrue(Quid)ſcꝫ dicã de illo(q̃ depaſcit)i.i.ãputat)luxuriã id ẽ nimi am pinguedinẽ)ſegetũ in tenera herba(.i.qñ adhuc pua ſeges eſt)Cũ ꝓmuꝫ ſata equãt ſulcos).i.qñ ſeges eſt tã magna vt ſulci nõ apareant Et hoc facit (ne culmus)·i.calam⁹ frumenti(ꝓcumbat·i.decidat)grauidis ariſtis).i.ple nis ꝛ maturis ſpicis. Et quid dicã de illo(qui deducit)ſcꝫ de cãpo(collectuꝫ humore(ſcꝫ nimiũ(bibula harena(.i.per harenã)pſertim(.i.maxie)ſi amnis abũdans exit)ſcꝫ alueo(incertis mẽſibus).i.tẽpib⁹ ꝛ)amnis tenet oĩa late i. trãſit oẽs agros(limo obducto).i.opto(Unde)i.quare(caue lacune(.i.foſſe (ſudant)id eſt replentur(tepido hũore).i.aqua ¶ Culm⁹ eſt calam⁹ fru- menti. Inde culmen id eſt tectum domus ¶ Luxuries eſt nimietas vel ſup fluitas in omni re. ¶ Lacuna.i.lacus.foſſa vel aquarum collectio

Culmus

Luxuries

Lacuna

Nec tñ haec cum ſint hominũqꝫ boumqꝫ labores
Verſando terram experti.nihil improbus anſer
Strymoniięqꝫ grues.et amaris intyba fibris
Officiunt.aut vmbra nocet.pater ipſe colendi
Haud facilem eſſe viam voluit.primuſqꝫ per artem
Mouit agros.curis acuens mortalia corda
Nec torpere graui paſſus ſua regna veterno
Ante iouem nulli ſubigebant arua coloni

Nec ſignare quidem aut partiri limite campum
Fas erat. in medium querebant ipſaqꝫ tellus
Omnia liberius nullo poſcente ferebat
Ille malum virus ſerpentibus addidit atris
Predariqꝫ lupos iuſſit pontumqꝫ moueri
Mellaqꝫ decuſſit folijs ignemqꝫ remouit
Et paſſim riuis currentia vina repreſſit
Ut varias vſus meditando extunderet artes
Paulatim. et ſulcis frumenti quereret herbam
Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem

¶ Hic agit de multis nocumẽtis agricularum. ꝛ cur illa deus immiſerit. cũ ſab initio non eſſent. ¶ Conſtrue (Cum) id eſt quamuis (labores hoim boumqꝫ ſint experti hec). i. fecerint predicta (verſando terrã). i. cõtinuo colẽdo (nec) tamẽ improbus anſer ꝛ grues ſtrymonie). i. thracenſes (ꝛ intyba) ille herbe (amaris fibris). i. radicibus noxijs (officiũt. i. obſunt nocent (nõ nihil). i. aliquid (aut vmbra) ſcʒ arborum nocet (Ipſe pater). i. deus (voluit viam). i. modum (colendi (ſcʒ agros (haud eſſe facilẽ. ꝛ ipe primus nouit agros). i. agrorum cultũ (per artem id eſt artificioſe (acuens). i. acuta faciens (corda mortalia). i. mortaliũ (curis) id eſt per curas ꝛ labores (Nec paſſus ſua regna). i. mundũ vel hoies (torpere). i. pigreſcere (graui veterno). i. ſomno vel ocio (Nulli coloni). i. agricole (ſubigebant arua). i. arabant (ante iouẽ). i. antequam iuppiter imparet (Nec erat fas ſignare campũ (aut partiri limite) id eſt ponẽ (ſignũ aut limitẽ in cãpo Sed hoies (querebãt oia in mediũ) id ẽ in coẽ (Et ipſe tellus ferebat oia liberi⁹ (id eſt liberali⁹ largius quam nũc (nullo poſcẽte) id eſt cũ tũ nemo exigeret hoc. (Ille ſcilicet iuppiter) addidit atris ſerpẽtibus malũ virus) id ẽ venenũ et ille iuſſit lupos predari (id ẽ lupi predarent. ꝛ iuſſit pontũ moueri Et ille decuſſit mella folijs (id eſt abſtulit mel ab arboribus in quibus ante naſcebat (ꝛ ipe remouit ignẽ (Et ipſe repreſſit). i. continuit (vina currẽtia paſſim (id eſt vbiqꝫ (riuis per riuos Iſtud autẽ ideo fecit (vt vſus) extunderet (id eſt extruderet inueniret (paulatim varias artes ꝛ vt vſus hoim (quereret ſulcis id eſt arationib⁹ (herbã frumẽti) id eſt frumentũ (Et excuderet ignẽ abſtruſũ (id eſt occultatum

Strimoni⁹, ſtrymon Intyba

in (venis) id eſt intimis (ſilicis. ¶ Strymonie grues dicuntur a ſtrymõe flumio thracie de quo in quarto libro ¶ Intuba vel intybe ſunt herbe que vocãtur alio nomine cicorea. ꝛ hñt multas radices quibus nec aut fruges In ſingulari dicitur intybus et intybum

Veternum

¶ Veternum eſt morbus inducens ſomnolentiam ꝛ ponitur pro pigricia Quidam accipiunt pro hydropiſi

Aurea Aetas

¶ Ante iouem ꝛc. hic tangit autem etatem in qua omnia copioſe proueniebãt abſqꝫ labore ¶ Mellaqꝫ de et cetera Dicunt poete quod in aurea etate mella naſcebantur in arboribus et quod vina currebant tanquam flumina Ouidi⁹ Flumina iam lactis iam flumina nectaris ibant
Flauaqꝫ de viridi ſtillabant ilice mella

Tunc alnos fluuiȷ̄ primum ſenſere cauatas
Nauita tum ſtellis numeros et nomina fecit
Pleiadas. hyadas. claramq̧ lycaonis arcton
Tum laqueis captare feras. et fallere viſco.
Inuentum. et magnos canibus circundare ſaltus
Atq̧ alius latum funda iam verberat amnem.
Alta petens. pelagoq̧ alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor atqꝫ argutę lamina ſerre
Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum
Tum varię venere artes. labor omnia vincit
Improbus. et duris vrgens in rebus egeſtas

¶ Dicit neceſſitatem multas artes excogitaſſe. Conſtructio (fluuiȷ̄ ſenſere tum primum cauatas alnos) id eſt nauigia (Nauita) id eſt nauta (fecit tum ſtellis numeros et nomina (ſcilicet nominando eas (pleiades ⁊ hyadas et claram arcton) illam ſtellam (lycaonis) ſcilicet filiam (Inuentum eſt tum) id eſt tūc (captare feras laqueis. ⁊ fallere) ſcilicet aues (viſco) id eſt bitumine (et inuentum eſt tum circumdare magnos ſaltus (id ſiluas (canibus) ſcilicꝫ venaticis (Atq̧ alius) ſcꝫ homo (petēs alta) id ē ꝓfunda (verberat latū amnem funda) id eſt tali rethi (et aliꝰ trahit pelago). i. ꝑ pelagus (humida lina id ē rethia ꝗ vocātur verricula (Rigor. i. duricies (ferri tuꝫ) ſcꝫ iuentus ē (⁊ lamina). i. latitudo (ſerre argute) id eſt ſubtilis vel ſonore (Nā ꝑmi (ſcꝫ hoīes (ſcindebāt lignū fiſſile) i. quod facile findi poteſt (cuneis) illis inſtrumētis. ⁊ non ſerra (Varie artes venere). i. venerūt tum (labor improbus).. vehemēs (vincit oīa) id ē oēs difficultates (Et egeſtas (id ē indigētia (vrgens) id ē cogens nos (in duris rebus) id eſt in aduerſitatibus ſupple vincit omnia

¶ Alnus eſt arbor craſſa de qua cauantur nauicule fluuiales — Alnus

¶ Pleiades ſunt ſeptem ſtelle ante genu tauri poſite. ſic dicte q̧ tempus nauigationis oſtendūt a pleo greco verbo quod eſt nauigo Latine dicunt vigilie q̄ in vere oriunt. — Pleiades

¶ Hyades ſunt q̄nq̧ ſtelle in fronte tauri dicte a greco verbo hyo qđ ſignificat pluo. — Hyades

¶ Arctos grece ſignificat vrſam. ⁊ eſt ſydꝰ iuxta polum ſeptentrionalē qui ab eo vocat arcticus Et ſecundū fabulas fuit filia lycaonis regis arcadie. nomīe caliſto Eſt etiā ibi alia ſtella que vocat minor vrſa Has vrſas naute obſeruant. ideoq̧ vocantur ſtelle maris — Arctos, Lycaon, Urſa minor

¶ Funda eſt rhete inferius latum ſuperius anguſtuꝫ quod iacitur in aquā Sed Verriculum eſt rhete quod trahitur Funda etiam eſt quo lapides iaciuntur — Funda, Verriculum

Prima ceres ferro mortales vertere terram
Inſtituit. cum iam glandes atqꝫ arbuta ſacrę
Deficerent ſiluę. et victum dodona negaret

Mox et frumentis labor additus. vt mala culmos
Eſſet rubigo. ſeuuſq; horreret in aruis
Carduus. intereunt ſegetes. ſubit aſpera ſilua
Lappeq; tribuliq;. interq; nitentia culta
Infelix lolium ꝫ ſteriles dominantur auene
Quid niſi et aſſiduis terrā inſectabere raſtris
Et ſonitu terrebis aues. ꝫ ruris opaci
Falce premes vmbras. votiſq; vocaueris imbrem
Heu magnum alterius fruſtra ſpectabis aceruum.
Concuſſaq; famem in ſiluis ſolabere quercu

¶ Hic agit de inuentione p̄ma frumēti. ꝫ ꝗ̄ diligentē oportet eē agricolā cō tra varia nocumēta. ¶ Cōſtructio Ceres. illa mulier. inſtituit. i. docuit mortales. i. hoīes. v̄tē terrā ferro. i. arare cū glādes atq; arbuta ſacre ſylue deficerēt iā. ſcʒ quibus an̄ veſcebātur hoīes. ꝫ cū dodona. i. ſilua. negaret iā victuʒ Et labor. i. calamitas eſt mox addit⁹ frumētis. ſcʒ vt mala rubigo eēt. i. cōſumeret (culmos). i. fruges. ꝫ ſeu⁹ carduus illa ſpinoſa herba. horret. i. horride creſceret ī aruis Segetes intereūt. ſcʒ. ob hoc ꝫ aſp̄a ſilua. i. multitudo malarū herbaꝝ. ſubit. i. naſcit̄ p̄ ſegetib⁹ ſcʒ lappe ꝫ tribuli. ꝫ infelix loliū ꝫ ſteriles auene dominant̄ inter nitentia culta. i. bonas fruges. Quod niſi. i. ꝫ niſi īſectabere. i. ſubiugabis. terrā aſſiduis raſtris. ꝫ niſi terrebis aues ſonitu. ꝫ niſi p̄mes falce. i. amputabis. vmbras. i. arbores. opaci ruris. i. tenebroſi. ꝫ niſi vocaueris imbrem votis. i. p̄miſſis vel p̄cibus. heu ſpectabis. i. videbis. fruſtra magnū aceruū. ſcʒ frumēti alteri⁹ ſcʒ hoīs. ꝫ ſolabē famē. tuā. quercu cōcuſſa id eſt quaſſata. in ſiluis

**Arbutus** ¶ Arbutus eſt arbor quedā cui⁹ fructus vocatur arbutum

**Arbuta** ¶ Arbuta ſunt fructus arbuti ſcʒ poma ſilueſtria rubra ꝫ denſe creſcentia et toto anno matureſcunt alio nomine vuedones

**Dodona.** ¶ Dodona eſt vrbs epiri p̄pe quā eſt ſilua multaꝝ quercuū

**Lappa** ¶ Lappa eſt inutilis herba habens fructus ſpinoſos ꝫ adherentes

**Tribulus.** Ouidius Mixta tenax ſeget. creſcē lappa ſolet ¶ Tribulus diſtel

**Lolium** ¶ Lolium eſt herba parum vtilis que et zizania vocatur

Dicendum et que ſint duris agreſtibus arma
Quis ſine nec potuere ſeri nec ſurgere meſſes.
Vomis et inflexi primum graue robur aratri
Tardaq; eleuſine matris voluentia plauſtra
Tribulaq; traheeq;. et iniquo pondere raſtri
Virgea preterea celei viliſq; ſupellex

Arbuteę crates. et myſtica vannus iacchi
Omnia q̄ multo ante memoꝛ ꝓuiſa repones
Si te digna manet diuini gloꝛia ruris

¶ Hic ponit inſtrumēta agricolaꝝ ¶ Cōſtrue. Et. i. etiā. dicendū eſt. q̄ arma .i. inſtrumēta. ſint duris agreſtibꝫ. i. agricolis Quis ſine. i. ſine quibꝫ meſſes. i. fruges. nec potuere ſeri. nec potuere ſurgere. i. creſcere. vomis ⁊ graue robur. i. lignū. aratri inflexi ꝑmū. i. añ Et tarda plauſtra. i. currus. eluſinę mris. .i. cereris q̄ colebaꝛ ibi. voluētia. i. volubilia Et tribula ⁊ trabeę ⁊ raſtuniquo pondere. i. graues ſup. ſunt arma. duris agreſtibꝫ. p̄terea. i. etiā vel p̄terea. virgea ſuppellex. i. res de virgis fcē vt ſpoꝛte ⁊c̄; ⁊ vilis ſuppellex celei. illiꝰ viri. h̄ ē ab illo ꝑmū repta Et crates arbuteę. i. de arbuto facte. ⁊ myſtica. i. ſacra. vānus iacchi. i. bacchi Quę oīa ſcꝫ iſtrumēta. ꝓuiſa añ multo. i. lōge. repones .i. cuſtodies Si digna gl'a. i. ꝓa laus. diuini ruris manet te. i. futura eſt tibi

¶ Arma plr tm̄. qñ ſcat munimina bellica Uir. in. viij. enei. Arma ſub aduerſa poſuit radiantia quercu Qñqꝫ ſcat inſtrumēta quelibet. vt hoc loco Qñqꝫ ſcat dolos vel aſtutias. vt enei. ij. Et querere cōſcius arma Arma

¶ Quis ſine ibi ē anaſtrophe figura qꝛ ꝑpō poſtponiꝛ ſuo caſui. vt ſepe fit Anaſtrophe

¶ Eleuſis vel eleuſin eſt ciuitas in attica ꝓpe athenas. vbi colebatur ceres. ergo vocatur eleuſina Eleuſis

¶ Tribula eſt genus currus quo teruntꝛ fruges in quibuſdā regionibus Tribula

Trabea ł traba ē vehiculū ſn̄ rotꝫ eē ſlede Uirgeꝰ a ū ē poſſeſſiuū nom a ꝟga Trabea Traba

¶ Celeus fuit rex eleuſine ciuitatis. quē ceres docuiſſe dꝛ agriculturam Celeus

¶ Iacchus idem qđ bacchus. in cuius ſacris vtebanꝛ vanno Iacchus

Continuo in ſiluis magna vi flexa domatur
In burim. et curui foꝛmam accipit vlmus aratri
Huic a ſtirpe pedes temo pꝛotentus in octo
Bine aures duplici aptantur dentalia doꝛſo
Ceditur et tilia ante iugo leuis. altaqꝫ fagus
Stiuaqꝫ que currus a tergo toꝛqueat imos
Et ſuſpenſa focis exploꝛet roboꝛa fumus.

¶ De foꝛmatione aratri ¶ Cōſtructio Ulmus: illa arboꝛ. domaꝛ. i. aptaꝛ. in burim. flexa magna vi. ꝯtinuo. i. mox in ſiluis ⁊ vlmꝰ accipit foꝛmā curui aratri Temo. i. tale lignū. ꝓtētꝰ. i. extēſus. i. in octo pedes. i. lōgitudīe octo pedū. a ſtirpe. i. a trunco ł radice. aptaꝛ huic ſcꝫ aratro Et bine aures. ſcꝫ aptāꝛ huic. ⁊ dētalia duplici doꝛſo. i. latere Et leuis tilia. i. arboꝛ illa. cędiꝛ añ iugo. i. ad foꝛmādū iugū. ⁊ alta fagꝰ. ſcꝫ cędiꝛ añ Et ſtiua. ſupple cediꝛ. q̄ toꝛq̄at. i. ꝓtat. imos currꝰ. i. aratra a tergo. i. in fine Et fumus exploꝛet. i. ꝓbet. roboꝛa. i. ligna ſuſpenſa focis. id eſt ſuper focos ¶ Buris ē curuatura aratri q̄ſi bouis vra. i. cauda Etiā legiꝛ bura ¶ Temo eſt longū lignū in curru vel aratro ad qđ iūgunꝛ equi ſeu boues trahētes ¶ Dentale vocaꝛ lignū in aratro ad qđ induciꝛ vomer. ¶ Stiua eſt manica aratri quo regitur

Buris / Bura / Temo / Dentale / Stiua

Poſſum multa tibi veteꝝ p̄cepta referre
Ni refugis. tenueſq; piget cognoſcere curas
Area tum primū ingenti eſt equāda cylindro
Et vertenda manu et creta ſolidanda tenaci
Ne ſubeant herbe. neu puluere victa fatiſcat
Tum varie illudunt peſtes. ſepe exiguus mus
Sub terris poſuitq; domos atq; horrea fecit
Aut oculis capti fodere cubilia talpe
Inuentuſq; cauis buffo. et que plurima terre
Monſtra ferūt. populatq; ingentē farris aceruū
Curgulio. atq; inopi metuēs formica ſenecte.

¶ Docet formare aream ¶ Cōſtructio. Poſſuꝫ referre tibi multa p̄cepta veteꝝ. i. doctrinas de agricultura. ni refrugis. i. ſi nō ſpernis ea ꝛ ni piget te. cognoſcē leues curas. i. diſcē ſtudia ruſtica Area ē equāda p̄mū ingēti cylindro. i. illo iſtrumēto ꝛ area ē vertēda manu. i. mouēda. ꝛ ē ſolidāda. i. ſolida faciēda. tenaci creta. i. illa terra Ne herbe ſubeāt. i. creſcāt in area Neu. i. ꝟ ne area victa puluē fathiſcat. i. valde hiſcat ꝛ rimas acq̄rat Varie peſtes. i. multa mala. illudunt. i. nocēt. tum qū̄ fathiſcit area Exiguus mus ſepe poſuit domos. ſcꝫ ſuas. ſub terris. atq; fecit horrea. i. ꝯgregauit fruges ſub terra Aut talpe capti oculis. i. ceci. poſuere cubilia. ſcꝫ ſua ibi Et buffo eſt inuētus cauis. i. in antris. ꝛ monſtra. i. noxa aīalia. ſup. ſunt inuenta. q̄ plurima. ſcꝫ monſtra. terre ferunt. i. p̄ducunt. ꝛ curgulio. ille vermis. populat. i. corrumpit. ingentem aceruū. i. magnū cumulū farris. atq; formica metuēs inopi ſenecte. i. q̄ eſt auara. ſupple populat ingentē aceruū farris. i. frumēti

**Area** ¶ Area eſt locus plan9 ꝛ ſolidus in quo trituraꝝ teu. een deele Itē oīs loc9 plan9 vocaꝝ area

**Cylindrus.** ¶ Cylindrus eſt lapis teres quē deuoluūt p aream vt equa fiat Eſt autē in

**hiſteronproteron** his duob9 verſib9 hiſteronproteron. q2 ordo ꝑuertiꝝ Nam in area formanda p̄mo terra vertiꝝ. deinde ſolidaꝝ. tercio equatur

**Curgulio Gurgulio** ¶ Curgulio eſt ꝟmis corrūpens fruges Aliq̄ ſcribūt g in p̄ncipis ſꝫ tūc ſ viā ſpiritalē a naribꝫ ad pulmonē q̄ alio noīe vocalis arteria dr

Contemplator item cum ſe nux plurima ſiluis
Induet in florem et ramos curuabit olentes
Si ſuperāt foetus. pariter frumēta ſequētur
Magnaq; cum magno veniet tritura calore
At ſi luxuria folioꝝ exuberat vmbra
Nequicq; pinguis palee teret area culmos

¶ Ponit prognoſticon de frumētis. ¶ Cōſtruc. Contemplator. i. ꝯtempla-

beris.item.etiã.cũ plurima nux.i.amygdala.induet ſe ĩ florẽ.i. florebit.in ſil uis.⁊ cũ nux illa curuabit olentes ramos.ſcʒ ob põdꝰ frondiũ.ſi fœtus.i.fru ctus amygdale.ſuperãt.i.multi ſunt.frumẽta ſeqntur pariter.i. etiã multa erũt.⁊ magna tritura veniet cũ magno calore At.i.ſʒ.ſi vmbra.ſcʒ amygdo- le.exuberat.i.magna eſt.luxuria.i.abundãtia.folioꝝ.tũc.area teret culmos.i. culmi terenť in area.palee nequicq̃ pinguis.i.nõ pinguis non fertilis.hoc eſt frumenta non erunt ſed ſole palee.

¶Cõtẽplator eſt hic ꝟbũ futuri tpi ĩpati mõi a ꝯtẽplor qđ ẽt ꝯſidero aſpicio — ꝯtẽplator ꝯtẽplor

¶Plurimꝰ h ponit̃ ꝑ lõgꝰ vt pluria nux.i.amygdala q̃ ⁊ nux greca ľ thaſiador — Plurimꝰ amygdala

¶Tritura eſt quando ſegetes teruntur in area. — Tritura

¶Triturare.i.frumentũ de ſpicis tollere qđ fit vel ꝑticis vel plauſtris — Triturare

Semina vidi equidem multos medicare ſerentes
Et nitro prius et nigra ꝑfundere amurca
Grandior vt foetus ſiliquis fallacibus eſſet
Et q̃uis igni exiguo propata maderent
Vidi lecta diu et multo ſpectata labore
Degenerare tñ.ni vis humana quotanis
Maxima queq̃ȝ manu legeret.ſic omnia fatis
In peius ruere ac retro ſub lapſa referri
Non aliter q̃ȝ qui aduerſo vix flumine lembum
Remigijs ſubigit.ſi brachia forte remiſit
Atqȝ illũ in preceps prono rapit alueus amni

¶De cautela circa ſeminãda legumia.¶Cõ. Eq̃dem vidi multos ſerẽtes medicare ſemĩa.i.medelã adhibẽ.⁊ vidi mľtos.ꝑfundẽ.ſ.ſemĩa.nitro ⁊ nigra armurca.i.fece olei vt grãdior fœtꝰ.i.fructꝰ eẽt ſiliqs.i.folliculľ.fallacibꝰ q̃ ſepe fallũt ⁊ vt ipa legumia.madeẽt ꝓperata.i.cito ꝑco q̃renť.q̃uis exiguo igni Vidi.ſ.legumĩa.lecta.i.electa.diu ⁊ ſpectata.i.ꝓbata.mľto labore.tñ degñare.i.peiora fieri.ni.i.niſi.vis hũana legẽt manu.i. eligẽt maxia q̃q̃ȝ.ſcʒ grana. quotãnis.i.ſingulľ ãnis Et vidi oĩa ſic ruẽ in peiꝰ ⁊ ſublapſa.i.corrupta referri retro.i.ire retrorſũ Deiñ ponit ꝯparatõeȝ Nõ aliter.ſup.oĩa ruũt in peiꝰ q̃ȝ q̃ ſubigit.i.agit mouet.lembũ.i.nauſculã.remigijs.i.remigatõe.vix.ſ. ſubigit. aduerſo flumie.i.ꝯtra fluctũ.ſi ille forte remiſit brachia.ceſſauit nauigare. alueꝰ rapit illũ in ꝑceps.i.agit eũ retrorſũ.ꝑno amni.i.cũ curſu flumĩs ¶Medico ⁊ Medicor ſub vna ſcatõe dicimꝰ.ſʒ medico vetuſtũ eſt (vt ait ſuius) ⁊ petũt accm̃.⁊ q̃nq̃ȝ dtm̃.¶Amurca eſt ꝓprie ſanies oliuaꝝ dũ terunť — Medico Medicor. Amurca

¶Nitꝝ eſt q̃dam ſpẽs ſabuli ad modũ ſalis.quo purgať aliquid — Nitrum

¶Lembus eſt nauicula.ſʒ limbus eſt idem qđ ora vel extremitas. — Lembus.

Preterea tam ſunt arcturi ſydera nobis
Hedorumqȝ dies ſeruãdi et lucidus anguis

Quam quibus in patriam vẽtoſa p̱ equora vectis
Pontus et oſtriferi fauces tentantur abydi
Libra die ſomniq; pares vbi fecerit horas
Et medium luci atq; vmbris iam diuidit orbem
Exercete viri tauros. ſerite ordea campis
Vſq; ſub extremum brume intractabilis imbrem
Nec non et lini ſegetem et cereale papauer
Tempus humo tegẽ. et iamdudũ incũbere aratris
Dum ſicca tellure licet dum nubila pendent

¶ Dicit aſtrologiã tam neceſſariã eſſe ruſtico q̃ʒ naute Itẽ de ſatione autumnali. ¶ Cõſtrue. Preterea. i. inſup̱. ſydera. i. tẽpeſtates arcturi. illi⁹ ſtelle. ſũt tam ſupple ſeruãda. nobis. ꝛ dies hedoꝝ. i. qñ hoc ſignũ oritur. ſunt tam ſeruandi. i. notandi nobis. ꝛ lucidus anguis. illud ſignũ ſupple ſeruãdus eſt nobis tam. i. tantũ. quã. i. quantũ. ſupple hec ſidera ſeruãda ſunt illis. q̇bus vectis in patriã p̱ ventoſa equora. pontus. i. mare ſcʒ tentatur. ꝛ fauces. i. anguſti tranſitus. oſtriferi abydi. i. illius ciuitatis vbi purpura fit. tentant̃. i. petũtur nauigio. Vbi. i. poſtq̃ʒ. libra illud ſignũ zodiaci. i. fecerit horas. i. tp̱a. die ſomniq;. i. diei ꝛ noctis pares Et vbi libra diuidit mediũ orbem. i. cœlũ luci atq; vmbras. i. tenebris O viri exercete tũc tauros. i. arate ſerite ordea cãpis. i. frumẽta. vſq; ſub. i. vſq; ad. extremũ imbrẽ. i. nimiã tempeſtatẽ. brume. id ẽ hyemis. intractabilis. i. qñ terra neq̇t tractari Nec nõ ꝛ tp̱s. ſcʒ eſt. tegere humo. i. ſemiare. ſegetẽ lini ꝛ papauer cereale. i. ad cererẽ p̱tinẽs Et ſcʒ tp̱s eſt incũbere aratris. i. arare. iamdudũ. i. q̃ʒ primũ vel mox. dũ licet qñ fieri p̃t. tellure. ſcʒ ente ſicca. dum nubila pendent. i. qñ nondũ pluit

Arcturus ¶ Arcturus eſt ſtella iuxta polum arcticum. cuius ortus ꝛ occaſus grauiſſimas tempeſtates facit oritur autem in autumno

Erictonius ¶ Erictonius fili⁹ vulcani relatus dr̃ inter aſtra. ꝛ in humero portare caprã ꝛ illi⁹ hedos in brachio Eſt ãt celeſte ſid⁹ in ſeptẽtriõe hñs octo ſtellas.

Sydera ¶ Tria ſunt ſydera que vocantur angues. vnus arcticus in ſeptentrione. alter auſtralis. tercius quem tenet ophiucus. i. illud ſignum

Abydus ¶ Abydus eſt vrbs helleſponti Eſt autem helleſpontus pars maris ſtricta ſed periculoſa inter aſiam ꝛ europam.

Libra ¶ Libra ẽ celeſte ſignũ qḋ cũ ſol ĩgredit̃ fit eq̇noctiũ autũnale Nota q̧ h̄ ponit̃ die p̱ diei more antiq̇ Nã apud veteres noĩa q̇nte decli. habebãt gtĩ ic

Vere fabis ſatio. tunc te quoq; medica putres
Accipiunt ſulci. et milio venit annua cura
Candidus auratis aperit quum cornibus annuʒ
Taurus. et aduerſo cedens canis occidit aſtro
At ſi triticeam in meſſem robuſtaq; farra

Exercebis humum. ſoliſq; inſtabilis ariſtis
Ante tibi eoę atlantides abſcondantur.
Gnoſiaq; ardentis decedat ſtella coronę
Debita q̄s ſulcis committas ſemina: q̄q;
Inuitę properes anni ſpem credere terrę
Multi ante occaſum maię cepere: ſed illos
Expectata ſeges vanis eluſit auenis
Si vero vitiamq; feres vilemq; faſellum.
Nec peluſiacę curam aſpernabere lentis.
Haud obſcura cadens mittet tibi ſigna bootes
Incipe et ad medias ſementem extende pruinas

¶ Docet quando ſerenda ſint legumina ⁊ quando frumenta ¶ Conſtruc-
tio Satio id eſt ſeminatio eſt fabis in vere O medica putres ſulci accipiūt
te quoq; tunc. ⁊ annua cura venit tunc milio illi frugi Quum cādid⁹ taurus
illud ſidus. auratis cornibus. i. habens aurata cornua. aperit annū. ⁊ quū ca
nis. illud ſignum' occidit id eſt non videtur a nobis. cedēs. id ē incedēs. auer-
ſo aſtro. id ē cū ſyrio ſtella noxia Aſt ſi exercebis. id ē parabis. humū. i. meſſez
triticeā. i. ad ferendū triticū. ⁊ ad robuſta farra ⁊ ſi inſtabis. i. operā dabis. ſo
lis ariſtis id eſt frumēto ferēdo eoę atlātides. ille ſtelle. ſcȝ pliades. abſcondā
tur tibi. id eſt occidant. ante q̄s feras' ⁊ gnoſia ſtella ardētis corone illius ſyde
ris decebat anteq̄s cōmittas ſulcis debita ſemina. ⁊ anteq̄s ꝓperes credere i
uite terre ſpem anni. id eſt frumentum Multi ceperūt. id eſt inceperūt ſerere
ante occaſum maie. i. priuſq; atlātides occidant Sed expectata ſeges eluſit
illos vanis auenis. id eſt pro tritico creuit auena. Si vero feres vitia ⁊ vilem
facellum illud abundans legumen. nec aſpernabere. i. ſerpens. curam. id ē ſa
tionem. peluſiace lentis. id eſt qua abundat apud peluſium in egypto boo-
tes illud ſyd⁹ cadēs. i. occidēs mittet tibi ſigna haud obſcura Incipe. ſ. ſerē ⁊
extēde. i. ꝯtinua ſementū. i. ſatōem ad medias ꝑinas. i. vſq; ad hyemen
¶ Medica eſt quedam herba ſimilis trifolio vtilis pecori ⁊ valde fertilis tra- Medica
ſlata primum ex regione medorum
¶ Milium eſt ſpecies quedā frugis quod columella nunc inter legumina Milium
